Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1818)

Lisez 1518

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ Martii.

M. DOMINICO DE FARCY, Doctore Medico, Præside.

An omni arthritidi, potus decocti foliorum Thé?

QUOD symptoma, præ cruciatuum atrocitate, patientiam ægri non minus exercet; quam graves, præ genii contumaciâ, solet offensiones excitare contra medentis existimationem; sævus est dolor, articulos ex intervallis invadens. Hic nusquam omnes simul affligit, at modò tentat unum, modò plures; assilit ad manus, impetum facit in coxendicem, provolvitur in genu, pedem utrumque vel alterum frequentius vincit. Quâlibet anni tempestate corripit securos, vere tamen ac autumno furit acrius. Calore, rubore, tumore palam fit interdum, obscurius & solo quandoque morsu se se prodit. In Austriâ Moraviâque si Endemius, ut narrant, accusandi mores indigenarum, haud satis omni sæculo temperati. Pueris venere nondum usis, mulieribus periodicæ obligationi etiamnum addictis; Eunuchis (forsan ad aliquod irreparabilis jacturæ solatium) immunitatem dederit Hippocrates articularis morbi; quotidiano rerum usu tanti viri effato nihilominus interceditur. Abstemios, coelibes, paganos, pauperes, quisquis eodem privilegio donatos credit; jus ille arthritidi pridem partum frustra contestatur, adoriundi cujuslibet, omni misso ætatis, sexus, vitæ instituti, conditionisve discrimine; seu quoniam facta parentum præstare tenetur, seu quoniam ipsissima sua persolvere. Meminerit idcirco quivis arthriticus, aut gentilitiæ culpæ reus, aut propriæ, alienum æs istud fuisse conflatum, vetus quidem à parentibus, novum à semet ipso, è vivendi normâ prorsus exlege. Dum amatum fuit per totos dies crassum & caliginosum aëra ducere, pergræcari, torpere otio, diu graviterque dormire, veneri litare crebrius, aucupari salsamentaria, summis animum contentionibus haurire. Sic bilis atque pituita tenuis & acida simul, crassave simul & insulsa pituita plus nimis ad cruoris universi compagem accedunt; cujus particulis inde, vario fermentationis motu, datâ quâlibet occasione succussis, exprimitur ichor acer aut acidus, vel exigitur humor aliquis, particeps crassitudinis cujuspiam, & salis expers omnis, per arteriarum ora detrudendus in articulos, ob viarum amplitudinem, atque membranarum ab ἀτονίᾳ laxitatem, obnoxios huic durissimæ servituti; quæ sospita corporis totius agnoscitur, quamdiu apud sequestres istos onus deponitur importunam.

CÆTERUM quæ corporis pars arthritici fermenti genuina fuerit opificina? jecur, an cerebrum? controversentur inter se prisci ac recentiores. Per quas decurrat humor ille vias! Ferneliani disceptent. Cur in articulos feratur? neque per itineris tractum utcumque derivatus alio se se projiciat? Curiosus aliquis aperuerit. Nos humorem arthritidis materiam ita produci, progressum facere, terminum assequi conjicimus. Nimirum cruori ad maturitatem provecto chylus adjungit se se, alterutro sale vivaci dives, ab eduliorum indole, à viscerum energeiâ; qui dispari utriusque charactere signatus, post emensos circuitus aliquot, in succum acrem immutatur, aut acidum. Sed & cum eodem cruore consociat se se chylus omninò dissimilis, utriusque salis inops, ab alimentis iniquioribus, ab infirmioribus extis, qui licet cordis redditus incudi, per innumeras reciprocationes, maturescit nusquam & excoquitur. Hi liquores, sociis aliorum, quas sanguinea compages habet, liquorum particulis, multiformium incerniculorum structuræ, capacitatique tubulorum inæquabili tandem aliquando facti graves incommodique, præ quantitate nimiâ, figuræ inconcinnitate, motus anomalia, fermentationum passim excitandarum authores evadunt. Quibus compressis, rerum dominatu potiti spiritus, quidquid molestum est è vasis exterminant, superstes ut portio vividi laticis apprimè niteat. Quod igitur acre acidumve pariter ac tenue est, ocyus viam sibi faciens, secedit in articulos: bilis videlicet, effervescens illicò, membrum attollit in tumorem accenso calore, ruborem accersit, aculeo pungenti dolorem ciet acerbissimum, gluten denique nativum, lubricandis idoneum articulis, cogit & indurat applicatione diuturniori. Tenuis & acida pituita, modò bilem non habuerit in arthritide comitem, calore partes non occupat, rubore non perfundit, tumore non deformat; has nihilominus exercet identidem, nunc levi morsu, nunc immani, prout spiculis armata est plus minusve fodientibus. Quod tandem paulo crassius, atque salis expers omnis, aliquantò serius è vasis deturbatum fuit in articulos, maximo duntaxat movendis artubus impedimento est, quos obscuro dolore carpit: obtusi videlicet hujusce pituitæ stimuli tam altè vehementerque defigi nequeunt.

UNAM igitur eandemque semper non esse causam articularis morbi, ut monuit Hippocrates, & diversa symptomata declarant, & opposita medendi methodus præclare confirmat. Agedum? Uno eodemque præsidio causam arthritidis utramque, funditus, adversam amoliemur? nempe potu decocti foliorum Thé. Hoc fruticis cujusdam, apud Sinas familiaris ac domesticæ folium est, fronti rhu, vulgò sumach, non absimile, cujus flos ejusdem arboris sumach florem colore satis refert, ad luteum nihilominus paulò magis vergens. Quod vere novo folium erumpit, mollius teneriusque id plurimùm expetitur, fusco viride præstabilius, luteo colore liquorem inficiens, violæ jucundum odorem spirans, afficiensque linguam subamaro sapore stanneis in vasis diligenter obsignatis diu servatur incolume; secùs fit expirati vigoris. Pretiosum istud folium duplici substantiâ constat, fixâ terrestrique alterâ, sed pauculâ, quam subamarus sapor palam facit, alterâ volatili sale fœtâ, & uberrimo, cujus argumentum suavissimus odor, liquorem in quo Thé leniter admodum ebullierit, abundè saturaturus. insident scilicet eximiæ dotes illæ omnes partibus extimis ejusdem folii, quas è superficie velut obvias, quisquis urget ulteriore coctionis apparatu, is & operam perdit suam, & melioribus salubris plantæ commodis se ipsum frustratur inscienter. Hæc Phœbi quia primus amor, beneficis ipsius radiis tantâ cum adhibitâ moderatione dicitur illustrari, quantam exigere potest phlegmaticarum utilis jactura particularum, terrestres alias justâ proportione temperatura, quantam desiderat salium admirabilis fabricatio, effingendorum exquisitissimè, paulatim evocandorum foras, ubi naturalis efficientia folii. Decoctum itaque tot opibus affluens, quâcum parte corporis non copulabit se se, per accessionem lectissimi cruoris, inquiunt ejus præcones. Attritas unius cujusque vires multo cum fœnore reparabit; cerebrum, impletis somni vicibus, animabit ad vigilias, veterno detentum excitabit, crapulâ grave confectum expediet, imbecilliori ventriculo robur adjiciet incredibile, spurcissimum lienem expurgabit, molliet colicos dolores, scabros illuvie renes absterget, rheumaticos arthriticosve cruciatus venientes arcebit procul, exin fortè non redituros.

EXCELLENTES verò folii nostri dotes qui primis qualitatibus acceptas judicat esse referendas, calori puta, quem in primo, siccitati, quam in principio secundi gradus obtinet; ducitur is præjudicio non parum depravato. Qui singula poculi hujusce munera volatili quo turget sali, particularumve quibus constat summæ tenuitati adscribit; ille tribuit ex æquo cuique quod suum est. Licet quippe concedatur ultrò calorem esse præ cæteris qualitatibus maximè actuosum & nobilem, extrema tamen ipsius impotentia, ignobilitas humillima hìc agnoscatur oportet; ut pote quem folium Thé remisso tantùm obtineat gradu, proindeque prorsus imparem obeundis tot tamque salutaribus negotiis. De siccitate nulla lis erit, ad volatile sal stirpis ejusque contextum planè recidente. Hoc porro sal, & plurimum inesse folio nostro qui dubitaverit, nares consulat, gratum persentiet odorem, benigni reverâ salis indicem locupletissimum, perinde ac certissimum tumultus faciendi prænuncium. Cogitet de jugi particularum effluvio, clàm subducentium se se, sensimque subeuntium in liquorem. Attendat etiam ad vigorem stirpis exspirandum, accuratissimè nisi clausa teneatur; animum inducet dubio procul rem sic habere, mitioribus ut è sulphuribus folii nostri, ritè subactis, assiduè fundatur aliquid; ubi præsertim faverit apertè ipsius mixti configuratio, rotunda, lævis & polita, particulis ejus, suâpte naturâ tenuibus, haud difficulter abducendis. Indeque profectò est, quod exhaustos ab edaciore vigiliâ spiritus instauret, depellendis uno verbo symptomatis jam jam recensitis accommodatum habeatur. Quid ita? quæ concrescens in sanguineâ compage pituita, projectaque illinc, hæserat diversis in partibus, ob crassitudinem, instar visci, volatilium folii Thé salium pernicitate perpetuâ quatitur dissociaturque, pristino loco dimovetur, à subtilissimis ejusdem particulis, impatientibus vel brevioris moræ; per sensiles deducenda tubulos, fluida facta nimirùm & obsequens; aut per insensiles cutis avolatura meatus, quia tùnc sponte vanescit. Rectè quinetiam medentur, quot quot hac opinione ducti, ad cruciatus arthriticos, ab acidâ pituitâ oriundos, remedia comparant è sale volatili, potissimum oleoso, quod plantarum animaliumve familia commodaverit, sive ingeratur illud, sive foris admoveatur.

IDEONE in articulari dolore, quem acris tenuisque bilis intulerit, similis præcavendi ratio curandive probabitur? nequaquam sin minus sanguinis particulas, ex se proclives ad agitationem, impensè sollicitaturus es, in præceps postea ruituras. Enimvero chylus pluries elutriatus, & tandem aliquando factus cruor, ab ipsomet cruore, seu, quod idem est, spiritu vitali; variorum posthac incerniculorum excutiendus examine, diversorum & alveorum structuræ subjiciendus, constanti motu versari debuit, ad animalis incolumitatem prorsus necessario; motus ejusdem authore spiritu; exequendi curatoribus, cerebro, corde; administrâ executionis, fibrâ multiplici; connitentibus ad mobilis volubilitatem, ejus calore λεπτομερείᾳ, teretiumque particularum configuratione. Sanguis itaque sic idoneè comparatus levi placidoque cursu tamdiu fertur, quamdiu particulæ ipsius, activæ præsertim, concordi se ipsas fœdere complectuntur, unâ quidem modestè præcellente, nec in reliquis audaciusculè dominaturâ. sulphureæ scilicet portionis ἀλκαλινῶν, salina moderatur appositè; hujusque θειωδῶν, sulphurea vicissim exacuit; alterutrâ superbiente, divortium illicò fieri videas, dissidentesque particulas prius in consensionem non redire, quam per concitatam fermentationem seditionis fax, à spiritu vitali, rerum domino, fuerit omninò compressa; unde quidquid alienatum fuerat, edomitum, superstes maneat in vasis, ejusdem spiritus vitalis usui mancipatum & operæ; quidquid indomitum & contumax, longius exulet. Quoniam verò sulphur cruoris secundum naturam impotentissimum est sui, quoniam hoc multis de causis abundant vasa; major ea propter & frequentior ab illo domestica perturbatio in sanguineâ compage cieri consuevit, arthriticos invectura cruciatus, Quantò major, quantò frequentior, Deus bone, si potus decocti foliorum Thé propinetur imprudenter, ad symptomatis istius ab acri bile tenuique simul oriundi prophylaxin aut therapeiam. Pro certo habeas cruorem arthritici jam æstuantem turgescentemque, amplius quam antea tumultuaturum. Ubi scilicet plurimo sale volatili Thé fuerit aspersus, & novâ tenuissimarum ejus particularum accessione conditus, miscebuntur omnia magis ac magis. Tùm quod ab illâ confusione conflictuque violenter expressum emiserit se se, futurum perduelle semper, intra tubulos aptè continebitur nusquam: erumpens igitur effrænatè, rapietur in articulos ex inopinato, periodicis tempestatibus, & atrocissimis, & creberrimis agitandos.

Non igitur omni arthritidi, potus decocti foliorum Thé.



Proponebat Parisiis ANTONIUS SERIN, Francopolitanus Diœcesis Ruthenensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.